

novi, modica illa quidem, parum probanda nec admodum expetenda videatur lætitia, nisi quæ contemplatione naturæ ejusque sublimitate excitatur; neque tamen varietates contemnendæ, utpote quæ naturam locorum, vel climatis etiam diversam indolem repræsentare videntur. Species autem vere diversas limitare, hisque varietates subjungere, et quo decet loco atque ordine collocare, ut suum cuique tribuatur, maxima, si quæ in natura gloria, existimanda. **Omnis** autem ostentatio inanis est, eaque gloria parum diuturna, cuius principium a priori, tamquam e communi humanarum Divinarumque rerum fonte emanans, altiora non petit. Hoc igitur opus, hoc studium parvi propereamus et ampli, ut, cum in adyta naturæ penetrare sacraque ejus mysteria investigare nequeamus, ea, quæ extrinsecus comprehendere liceat, sic in nostram aliorumve utilitatem vertere studeamus, ut communi bono inserviant.

His rationibus ducti, — et quoniam desunt vires graviora moliendi, facultates etiam tenues proprio quidquam sumtu edere prohibent: — operaæ pretium rati sumus, hac occasione data, quæ de variis plantarum septemtrionalium variationibus experti sumus, proferre, nec non vegetationem Lapponiæ comparativam, pro nostra tenui facultate, qualitercunque extricare. Nobis satis erit, si re-